(Joh. I, 8. seqq.) *verè demum* Dies *merentur dici, cum antehac mera ubivis dominata fuerit caligo*: Rom. XIII, 12. 2. Cor. VI, 2.

(2) Dies, quam fecit Dominus, *observanda meritò omni sobrietate sanctitatisque exercitiis*: 1. Thess. V, 5.

(3) *De* Gaudiô *confer* Rom. XIV, 17. Phil. III, 1. IV, 4.

USUS E VERSU XXV.

(1) *Ut DEus nos* salvet, juvet, prosperet, *suspirandum semper & ubique.*

(2) Salus *non contingit nobis, nisi per & propter* Salvatum Salvatorem: Zach. IX, 9.

(3) *Pro adventu regni Christi oramus quotidiè* petit. 2. orat. dom.

USUS E VERSU XXVI.

(1) *Verè demum* Benedictus *erat, per quem benedicendæ omnes gentes*: Galat. III, 14.

(2) *Christus* venit *non in suo, sed* sui Patris nomine: Joh. V, 43. *Sic & nos semper niti debemus vocatione atque missione legitima*, Ebr. V, 4. Rom. X, 14.

(3) *Christianorum est, non imprecari, sed aliis* benedicere, *& pro ecclesiæ augmentô, vel regni cœlestis adventu suspirare*: Matth. V, 44. Rom. XII, 14.

(4) *Esto* de domô Domini, *h. e. de familiaribus Dei servis. Ita de bonis* Domus Dei *etiam participabis*: Psalm. XXXVI, 9.

USUS E VERSU XXVII.

(1) *Solus* Jehova, *non Baal, Moloch vel alius, est DEus verus.*

(2) Illuminatio *intellectus, & exhilaratio cordis, unice dependet à DEô.*

(3) Festo *suus exhibeatur honor, pro ratione divini verbi revelati; sive hoc, pro ratione V. T. fiat oblatione victimarum, sive apportatione ramorum viridium, sive pro ratione N. T. internâ spiritus devotione, mortificatione veteris Adami, lætitiâ in Christô, &c. conf.* Hos. VI, 6. 1. Petr. II, 5. Rom. XII, 1. Ebr. XIII, 15.

USUS E VERSU XXVIII.

(1) *Profiteamur corde atque ore DEum verum, tanquam* nostrum: *quod citra* fidem *veram fieri nequit.*

(2) Celebrandus *idem* extollendusque *solus; vi* præcept. I. & II.

USUS E VERSU XXIX.

Uti psalmus hic eâdem laudis formulâ & inchoatur & finitur; ita singulæ quoque nostræ actiones: vid. Psalm. CXIII, 1. 9. CXVII, 1. 2.

PSALMI CXIX. DISPOSITIO.

Verbi Dei laus maxima. Alphabetum Christianorum.

CUm David præfixerit sibi verbum divinum secundum alphabeti seriem commendare devotissimè, noluimus de dispositione scrupulosius indagare, cum Poëta hîc sanctus vix sibi regulas præscripserit logicas, sed pro Spiritus libertate modò horsum, modò aliorsum se verterit, constanter in Verbi unâ laude perseverans.

PSALMUS CXIX.

EXPLICATIO VERSUS I.

אשרי *Beatitudines:*) de voce ebræâ vide *Psal. CXII, 1.* Nota, Psalmum hunc esse rursus alphabeticum, ita ut octo semper versus (cujus numeri causas dat *Viccarsius f. 337.*) incipiant à literâ eâdem, idque secundum alphabeti seriem: fortè ad juvandam memoriam, atque ob rei simul traditæ dignitatem. Lex siquidem, juxta *Ambrosium*, est alphabetum fidelium, & secundum *Hilarium* à primâ ætate cum primis literarum rudimentis imbibendum. De quâ serie & artificiô vide *Psalm.* CXI. & CXII, item quæ contra Hilarium affert Sixtus *lib. 5. biblioth. an. 201.* Deinde & hoc observatu dignum, nullum in his 176. versibus deprehendi, (exceptô unicô 122.) qui non meminerit legis divinæ. Lutherus (*t. 1. Altenb. f. 784.*) de Psalmô hoc commemorat, eundem quotidiè in templis (semel) decantari, ita quidem, ut in primam, tertiam, sextam & nonam dispescatur horam: vide ibi plura, itemque scholia *f. 805.*

תמימי *perfecti viâ:*) ita Pagninus. vel integri viâ, *Junius & Piscator*, i. e. secundum Campensem: *qui innocentes vivunt in hac vitâ.* vide dicta *Prov.* XI, 20. abominatio Jehovæ sunt perversi corde, & beneplacitum ejus ימימי דרך. Lutherus olim: die ohn Wandel sind auf dem Wege / postea: die ohne Wandel leben. Pelagianis, absolutam piorum puritatem ex textu hôc urgentibus, respondet Bellarmin. *tom. 4. f. 26. de amiss. grat. & stat. peccat. c. 6.* Et porro huic ipsi *Bellarmino*, justitiæ inhærenti beatitudinis meritum tribuenti, respondet *Gerhardus tom. 3. L. justif. §. 202.* quæ ipsa etiam satisfacere possunt *Estii ann. h. l.* adde Thum. *dec. disp. th. 6 p. 44. seqq.*

הולכים *qui ambulant*:] h. e. quoslibet suos motûs, qua corporis, qua animi, componunt ad legis divinæ lineam, intraq; illam orbitam se continent, ut ne vel in excessu vel in defectu delinquant, antequam ad metam veræ beatitudinis perveniant præfixam. Continuatur metaphora *viæ*, ita tamen, ut simul per vocabuli proprii תורה adhibitionem figuratum *viæ* vocabulum declaretur. (ה) est relativum, *p. 109.*

בתורת *in lege*:) i. e. juxta Campensem: *secundum doctrinam Domini.* Ita namque præpositio *IN* commodè pro ratione materiæ substratæ declaratur per *secundum:* quippe qui incedit in aliquâ semita, gressus etiam suos simul secundum ductum ejusdem semitæ disponit. Est verò nomen hoc primum ex verbi divini titulis, quorum X. præterea occurrunt in hôc Psalmô; עדות, מצוה, חקים, דרך, צדק, דבר, אמרה, לשפטים, פקודים, אמונה, quibus ipsis tamen non præcisè denotatur lex, prout opponitur evangelio, verum generatum quævis *divina revelatio* scriptô